

sunt successores Apostolorum, can. *In novo*, 2. dist. 21. ibi: « ipsi decedentibus in locum eorum successerunt episcopi. » (ADNOTATIO CI).

305. *Fit etiam expressio diœcesis et quomodo?* — Exprimatur autem specialiter diœcesis per illa verba v. g. vicario archiepiscopi Neapolitani, vel officiali Frisingensi, per quam Papa semper intelligit diœcesin oratorum; unde si circa hoc error est, litteræ executioni mandari non possunt juxta dicta n. 123.

306. *Tertio fit salutatio consueta.* — Tertio: sequitur salutatio consueta, videlicet « salutem, et apostolicam benedictionem. »

307. *Quarto ponitur nomen et cognomen oratorum, et eorum diœcesis.* — Quarto: sequitur nomen et cognomen oratorum cum expressione diœcesis, in qua sunt, quod necessarium est juxta dicta n. 203.

308. *Et quando ob angustiam loci petitur dispensatio, etiam locus oratorum.* — Quod si ob angustiam loci petitur dispensatio, additur etiam locus oratorum juxta dicta supra. Regulariter autem intelligitur et attenditur locus originis, non domicili, etsi quis longissimo tempore in tali loco existeret. Justis, lib. I, cap. vi, a nu. 127; Corrad., lib. VII, cap. v, a nu. 30. Hinc, si error sit circa nomen talis loci, dispensatio est subreptitia, juxta dicta n. 214. cum sit error circa causam finalem seu motivam, doctores citati. Cæterum in aliis dispensationibus non apponitur locus oratorum, sed tantum diœcesis.

309. *Quinto refert Papa petitionem oratorum utendo eorum verbis formalibus.* — Quinto: ponit et narrat Papa preces oratorum una cum impedimento et causa dispensandi, prout ab oratoribus fuere propositæ, idque sequenti modo (quo etiam nomina et diœcesin oratorum exprimit) referre incipit: « oblata nobis nuper pro parte dilecti filii Francisci N. laici, et Claræ N. mulieris Neapolitanæ diœcesis oratorum, petitionis series continebat quod etc. » adducit dein oratorum verba formalia, quibus causam dispensandi, impedimentum obstans, desiderium nubendi, et petitionem dispensationis exprimebant.

310. *Sexto fit absolutio a censuris.* — Sexto: absolvit oratores a censuris, et aliis pœnis ecclesiasticis in ordine ad consequendum dispensationis effectum; quia casu, quo irretiti essent excommunicatione v. g. gratiæ non essent capaces, cum gratia

per excommunicatum obtenta non valeat c. I, de *Rescript.* in 6, solet autem præfata absolutio fieri sequentibus verbis: « Nos igitur eosdem Franciscum et Claram, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, etc. »

311. *Quæ certis quibusdam non suffragatur.* Notandum vero, quod, etsi valde generalis et favorabilis sit hæc absolutio, tamen nullatenus suffragetur « Non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificari procurantibus litteras, et supplicationes apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus, et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, et nuntios, vel executores apostolicæ sedis, et ejus officialium, ejus commissa exequentes impediuntibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerunt. Et generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum in sorduerint. » Ita expresse disponit 66 Regula cancellariæ, quam una cum aliis habes lib. III, tit. V, § XVI.

312. *Servit tantum ad effectum dispensationis.* Notandum ulterius, quod supra dicta absolutio præcise serviat ad consequendum dispensationis effectum, et ad nullum alium. Hinc ante et post illam subjacet dispensatus iisdem censuris, et pœnis effectibusque illarum quoad alia Barbos., de *clausul.* claus. 179, num. 6; Justis, lib. I, cap. vi, num. 211. et alii communiter, patetque ex ipso tenore absolutionis, ibi: « Ad affectum duntaxat præsentium consequendum. »

313. *Septimo mandat executori ut observatis clausulis dispenset.* — Septimo: se facti notitia carere asserens Papa executoris delegati negotium, eique mandat, servatis et observatis certis clausulis ibidem expressis dispensat cum oratoribus. De quibus clausulis subsequenter. Pergit itaque post absolutionem factam.

« Ac certam de præmissis notitiam non habentes discretionis tuæ, de qua in his specialibus in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, » etc.

314. *Clausula discretionis tuæ quomodo intelligenda? discretio est mater omnium virtutum.* — Ubi per clausulam « discretionis tuæ » non intelligitur liberum, sed prudentiale, et regulatum iudicium, quo et juxta præscripta procedere, et simul attendere debet, an non ex dispensatione scandala, vel alia gravia mala oriantur; in tali enim dispensationem denegare deberet, exigente id discretionem, « quæ est mater omnium virtutum, » Clem. 2. *De sent. et re iudicat.* et can. *Præsentium*, cau. 1, q. 5; Corrad. lib. VII, cap. vi, n. 1. Si episcopo ipsi committitur executio, loco verborum discretionis tuæ, utitur Papa verbis, fraternitati tuæ.

315. *Clausula Mandamus importat præceptum.* — Mandamus; hæc clausula importat verum præceptum dispensandi et observandi clausulas sequentes, ac non nisi eisdem observatis et verificatis dispensandi, videlicet.

316. *Per clausulam, quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii etiam sponte oblata graviter prohibetur receptio cujusvis muneris, etiam esculentorum.* In *claris non admittitur interpretatio.* — « Quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii, etiam sponte oblata, a quo te omnino abstinere monemus etc. » Quæ verba, licet consilium importare videantur, ob terminum monemus, tamen ex antecedentibus, et subsequentibus, aperte constat, illis innui grave, et quidem sub mortali obligans præceptum; eo quod cujusvis muneris receptio, sub excommunicatione latæ sententiæ (quæ non nisi ob peccatum mortale infligitur) subsequenter in quibusvis hujusmodi dispensationis litteris apostolicis expresse prohibeatur illis verbis. « Volumus autem, quod si sprete monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. » Quæ verba etiam de esculentis et poculentis, quæ paucis diebus consumi possunt, intelligenda sunt. Corrad., lib. VII, cap. vi, num. 15; Justis, lib. I, cap. vi, num. 241; Sanchez, lib. VIII, disp. 35, num. 12. Ratio est; Tum quia prohibitio Papæ est universalissima, ibi: « Cujuscun-

que et si aliquid, » quibus verbis omnia comprehenduntur arg. 1. *Quacunque ratione ff. de Procurat.* etiam modica, ut bene advertit Barb., de *Axiom. Axiom.* 131, nu. 70. Tum « quia verba generalia generaliter sunt intelligenda c. quia circa de privileg. » Nec datur in hoc interpretatio, cum verba sint clara; in claris enim non admittitur interpretatio arg. 1. *Ille, aut ille* 23. ff. de *Legat.* 3, « cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio. »

317. *Solvitur objectio.* — Neque aliquid in contrarium evincit c. *Statutum* § *Insuper. de de Rescript.*, in 6. ubi sub prohibitione receptionis munerum, esculenta et poculenta excepta dicuntur; quia ibi est sermo de delegato ad lites, cujus commissio, cum ordinarie diu duret, et magni existat laboris, stipendio aliquo digna videtur: quæ ratio non militat in casu, eo quod sit brevissimi laboris.

318. *Neque sub prætextu laboris, taxæ papyri, vel consuetudinis aliquid accipere potest executor.* — Hinc neque sub prætextu laboris in studendo processui, examinandis testibus, capienda informatione etc. neque ratione sigilli, papyri, expeditionis, aut taxæ delegatus aliquid accipere potest, prout expresse declaravit sacra Congregatio apud Corrad., cit. lib. VII, cap. vi, num. 14; Justis, loc. cit., nu. 143; Dian., p. 5, tract. 13, resolut. 71. Et merito, cum labor juxta dicta sit modicus, et si in loco distante informatio esset capienda, possit executor eam delegare aliis, qui eidem parere tenentur. Justis, loc. cit., n. 144.

319. *Contra præceptum et obedientiam superioris non datur præscriptio, nec quid valet consuetudo.* — Nec aliquid in contrarium valet consuetudo alicubi vicens; licet enim hæc legitime introducta deroget legi c. fin. *De consuet.* non tamen quidquam valet contra Superioris præceptum recenter positum; alias enim subditus consuetudine posset præscribere contra obedientiam superiori præstandam, quod omnes negant arg. c. *Cum non liceat*, 12, de *Præscript.*; consequenter cum in quibusvis Dispensationis matrimonialis litteris Papa de novo, et expresse præcipiat, ne quidquam accipiatur, penitus nil valet contra hoc præceptam consuetudo etiam immemorabilis.

320. *An? et quid ratione executionis recipere possit notarius?* — Notandum tamen, licitum esse notario aliquid pro examinandis

testibus, et aliis informationibus accipere, quartam nempe partem aurei; prout expresse habet sacræ Congregationis declaratio apud Corrad. illis verbis: «*Gratis adeo dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam ordinarii, quibus istæ dispensationes committuntur, suum officium gratis præstent, ita ut nec ipse vicarius aliquid suscipiat pro mercede; notarius vero pro examinandis testibus, et sumendo cæteras informationes quartam partem aurei, seu ducati accipere possit.*» Ratio est, quia præceptum litteris dispensationis infertum, solum executorem, non item notarium, vel alios afficit: ob quam rationem putamus, notarium, et alios expeditionis officiales etiam plus, quam quartam partem aurei accipere posse, si major taxa rationabili consuetudine introducta est; dummodo de hoc nil participet vicarius generalis, vel alius executor; quia huic, non autem illis semper obstat recens præceptum superioris.

321. *Post executionem factam etiam executor aliquid accipere potest.* — Hæc autem intellige ante factam dispensationem; quia postquam dispensatio executioni jam demandata est, etiam executor aliquid gratis oblatum accipere (minime vero aliquid prætere) potest. Sanchez, lib. VIII, disp. 35, n. 14; Justis, lib. I, cap. vi, n. 245, et alii; eo quod tunc jam cesset ratio prohibitionis, quæ est, ne iudex muneribus excæcatus inique dispenset.

322. *Ad validam executionem requiritur prævia informatio, seu cognitio executoris.* — Te de præmissis diligenter informes, et, si preces veritate niti repereris, tunc et dispenses. Hæc clausula conditionem importat, et est de forma, adeo ut invalide dispenset executor, si prius se non informet, et reperiatur, vel cognoscat preces veritate niti, etsi a parte rei preces veritate omnino nitantur. Sanchez, lib. VIII, disp. 34, n. 26; Justis, lib. I, cap. vi, a n. 246; Gutierrez, can. quæst. lib. II, cap. xv. n. 112; Garcias, de *Benef.* p. VI, cap. ii, n. 265; Filliuc. tom. I, tract. X, p. II, cap. x, n. 354, cum communi, et sæpius decidit Rota. Ratio est, quia non servata conditione et forma præscripta semper corrumpit, et nullus est actus. arg. c. *Cum dilecta*. 22, de *Rescript.* et amplius dictum est lib. I, tit. III, de *Rescript.* § 7, a n. 144.

323. *Clausula, si preces veritate nitantur, cuius rescripto Papæ de jure tacite inest. Non*

*est eadem cum clausula:* Si preces veritate niti repereris. — Dices: clausula, si preces veritate nitantur, cuius dispensatione tacite inest de jure, etsi non exprimat c. 2, de *Rescript.* ibi: «*In ejusdem litteris intelligenda est hæc clausula, si preces veritate nitantur, etsi non apponatur;*» atqui expressio illius, quod de jure tacite inest, nec formam, nec conditionem importat, ut late probat Sanchez, lib. III, disp. 33, n. 3, ergo. Resp. concessio antecedenti, negando suppositum vel potius paritatem inter clausulam, «*si ita est, vel si preces veritate nitantur;*» et inter clausulam si preces veritate niti repereris;» quia prior quidem, sed non posterior inest de jure. Unde conceditur, subsistere executionem habentem tacite vel expresse hanc solummodo clausulam, si res ita est, vel si preces veritate nitantur, dummodo res a parte rei ita se habeat, etsi illud executor ignoret, vel non cognoverit, vel non satis sciat; negatur tamen, ita pariter procedere, quando adest clausula, si preces veritate niti repereris: quia hæc expresse importat conditionem cognitionis præviæ. Ubi autem requiritur prævia cognitio, non sufficit rem ita se habere, ut asseritur, nisi etiam cognoscatur. arg. l. *Eum, qui duobus*, § 1, ff. de *Acquir. heredit.*

324. *Informatio prævia de veritate precum non fit judicialiter, sed extrajudicialiter et quomodo?* — Pro verificatione tamen precum non requiritur informatio, et cognitio judicialis, sed sufficit extrajudicialis, sine ordine, et forma iudicii, et per testes non juratos habita. Sanchez, lib. VIII, disp. 35, n. 15; Mascard. de *Probat.* conclus. 1362, n. 16; Justis, lib. I, cap. vi, n. 262; Gonzalez, ad *Regul.* 8, Cancell. § 19 et 20, cum communi; arg. concil. Trident. sess. 22, de *Reform.* cap. v, ibi: «*Marie tantum, et extrajudicialiter.*» Ratio est, quia prævia cognitio, et informatio de veritate precum committitur conscientiæ et prudentiæ executoris, ut liquet ex appositis verbis: «*Super quo conscientiam tuam oneramus;*» quoties autem aliquid conscientiæ, et prudentiæ iudicio alicujus committitur, judicialis cognitio non est necessaria. Justis, loc. cit. n. 308; Sperell. decis. 109, n. 48, et alii post Gloss. in c. *Statutum*, 11, §. *Relinquatur.* de *Rescript.* in 6. Debet tamen attendere delegatus, ne soli oratorum asserito credat, sed accipiat testes fide dignos,

et saltem ita se informet, ut prudenter credere possit, rem ita se habere. Justis, loc. cit. n. 263 et 268, quia id ad minimum requirere videtur clausula diligenter te informes.

325. *Delegatus executor potest pro capienda informatione alios subdelegare: et habet ampliam potestatem.* — Pro capienda necessaria informatione potest executor ex officio alios subdelegare, et illos ad id per censuras adigere c. *Pastoralis.* de *Officio delegat.* potest insuper testes quoslibet citare, et censuris compellere juxta communem. Ratio est, quia delegatus in causa delegata gerit vices, Papæ: estque omnibus superior, et concessa sibi jurisdictione censetur ei cum illa etiam concessa omnia ea, sine quibus illam cum effectu exercere non potest. arg. c. *Præterea de Off. delegat.*

326. *Si adest contradictor, debent ita in scriptis redigi.* — Porro etsi juxta dicta sufficiat extrajudicialis cognitio, tamen, si aliquis adesset contradictor, deberet citari pars, et acta in scriptis redigi. Garcias, cit. p. VI, cap. ii, n. 247; Justis, loc. cit. n. 267.

327. *Clausula, si preces veritate niti repereris, quomodo intelligenda? Remissive.* — Si preces veritate niti repereris: quamvis intelligentia hujus clausulæ a potiori jam pateat ex dictis a n. 322, tamen circa eam adhuc examinandum videtur, de quibusnam executor necessario se informare, et cognoscere debeat, quod preces veritate nitantur. Ad quod respondetur, executorem non de omnium, sed tantum de illorum veritate necessario se informare, et cognoscere debere, quorum falsa vel erronea expressio vitiat, et annullat rescriptum, quænam autem sint illa, abunde habes supra § 5, ubi in specie dictum, falsitatem, vel errorem circa nomen vel diocesan oratorum, item errorem circa causam finalem seu motivam, item errorem circa impedimentum vel gradum vitare rescriptum. Ibidem etiam a n. 217, habes, quo tempore verificari debeant causæ.

328. *Clausula: Quod ipsi nobiles, vel de nobili genere creati, vel illustres existant. An? quando? et quomodo verificanda?* — Cæterum qualiter verificari debeant, et satis verificatæ censeantur, vide de quavis causa supra § 3, et etiam dicta n. 324, quibus adde, quod subinde pro concausa etiam allegetur qualitas oratorum v. g. «*Quod*

ipsi nobiles, vel de nobili genere procreati vel illustres, aut de illustri familia existant.» Circa quas clausulas notandum, quod, si apponantur una cum causa illa generali: ex certis et rationabilibus causis, non sit necesse, ut de illis se informet executor, vel ut verificentur, sed potest exequi litteras, etsi sciat, illam esse falsam juxta dicta supra. Ratio est, quia tunc non allegata nobilitas, sed major taxa est causa finalis. Justis Corrad. et Sanch. ubi infra n. seqq.

329. Si vero una cum alia causa apponitur, tunc videndum est, an apponatur tanquam causa finalis ad evitandam clausulam etsi extra, vel ad obtinendam dispensationem in propinquiori gradu, in quo ob allegatam causam alias cum ignobilibus non dispensaretur, tunc enim probari, ac verificari debet. Corrad. lib. VII, cap. ii, n. 15, et seqq.; Sanchez, lib. VIII, disp. 35, n. 25; Justis, lib. III, cap. vi, n. 117. Ratio patet ex dictis.

330. Ad cognoscendum autem, utrum ex causa finali apponatur vel non, intelligendum est ex relatione Papæ; si enim hic in suis litteris ponit, «*ut asseris, vel asserentes, vel sicut asserunt, vel ut ab ipsis asseritur,*» videlicet eos esse nobiles, censetur allegata nobilitas tanquam causa finalis, et est probanda. Corrad. lib. VII, cap. ii, n. 115; Justis, lib. III, cap. ii, n. 118; Barbos. de *Clausulis*, clausul. 116, n. 1; Sanchez, lib. VIII, disp. 35, n. 25, arg. l. *Ommes*, 2, c. de *His, qui veniam ætat.* Si vero statim ab initio ponit, ut asseritur, non addendo, quod ab oratoribus asseratur, censetur narrata non ab oratoribus, sed ab aliis poni, et consequenter verificari necessario non debet. Justis, loc. cit. n. 121; Barbos. loc. cit. clausul. 188, n. 3; Gonzalez, ad *Regul.* 8, Cancell. Gloss. 32, n. 12, et sæpius Rota apud Justis, arg. *Authent. si quando de constit. pecunia.*

331. *Asserentes se esse nobiles, quid debeant oratores?* — Porro nobilitas pro verificatione et probatione (quando est necessaria) rursus attendi debet, quomodo in litteris dispensationis referatur: si enim oratores simpliciter asseruerunt, se esse nobiles, tunc non requiritur, ut probent, se esse ex nobili stemmate natos, sed sufficit probare, illos nobiliter vivere, ac propterea abstinere ab his, quæ populares facere solent. Corrad. loc. cit. n. 119; Justis, loc. cit. n. 123, quales sunt etiam doctores; cum doctoratus

nobilitati æquiparetur; item illi, qui officia, vel dignitates exercent, quæ alias nobilibus conferri solent. Justis, loc. cit. lib. III, cap. II, n. 131. Et multo magis illi, qui ex recenti privilegio, aut gratia principis nobiles existunt. Justis, loc. cit. n. 132, quia absolute ac simpliciter loquendo revera pro tunc nobiles sunt.

332. *Et Quid, si dicant se esse de nobili genere procreatos.* — Si autem allegant, se esse ex nobili genere vel stemmate procreatos, debet probari, quod etiam majores, vel saltem parentes fuerint nobiles. Corrad. lib. VII, cap. II, n. 119; Justis, loc. cit. n. 137, quia plus dicit esse de nobili genere, quam esse nobilem. Sanchez, lib. VIII, disp. 19, n. 6, requiritur autem et sufficit probare nobilitatem patris. Sanchez, lib. VIII, disp. 19, n. 6; Justis, lib. III, cap. II, n. 141, allegans Rotam. Ratio est, quia filius sequitur conditionem patris non matris, per vulgaria.

333. Cæterum probatio fieri potest, et debet vel per testes, vel instrumenta, vel communem famam vel æstimationem hominum attestantium, eos nobiliter vivere, etc. vel se cognovisse majores, vel parentes eorum, qui nobiliter vivebant, pro nobilibus habebantur, vel officia et dignitates nobilibus conferri solitas possidebant. Justis, loc. cit. n. 137; Corrad. loc. cit. n. 119.

334. *Principales, vel ex principioribus populi vel loci, quinam intelligantur?* — Principales, vel ex principalibus populi vel loci alicujus se esse, si pro causa allegant oratores, sufficit probare eos esse viros valde divites, vel ibidem potentes. Sanchez, cit. disp. 19, n. 6; Corrad. lib. VII, cap. II, n. 121; Justis, lib. III, cap. II, n. 142, allegantes praxin, et stylum, qui stat loco legis: quæ probatio omnino non requiritur, si allegatur pro dispensatione generali causa dicta « ex certis et rationabilibus causis; » sicut supra a n. 328, dictum est de nobilibus.

335. *Ex honestis familiis, quinam dicantur esse?* — Ex honestis familiis esse, si asserunt, et pro causa allegant oratores, sufficit probare, eos honeste vivere, et familiam eorum nulla turpitudinis nota laborare. Corrad. loc. cit. n. 118; Justis, loc. cit. n. 143.

336. *Defectus dotis, quomodo intelligendus. Remissive.* — Dotis defectus pro causa si allegatur, debet præter dicta n. 81, advertere executor, quod litteras dispensationis exe-

gunt, seu dispensare actu non possit, nisi prius instrumento publico assecuretur, quod dos competenter aucta, vel ex integro data et assignata sit, casu, quo in supplicatione allegatum habetur, quod incompetentem dotem mulieris augere, vel indotatam ex integro dotare intentio sit. Corrad. lib. VII, cap. II, n. 37, quia apponitur expressa clausula, et postquam dictæ oratrici dos competenter aucta fuerit, etc. ut præfertur.

337. *Per angustiam loci intelligitur domicilium originis?* — Angustiam loci pro causa dum allegant, præter dicta supra a n. 76, observandum, quod intelligatur, et probari debeat angustia loci, seu domicilii originis non habitationis, nisi Pontifex aliud in litteris exprimat. Corrad. lib. VII, cap. V, n. 41; Barbos. de Offic. et potest. episc. allegat. 4, n. 8; Justis, de Dispens. lib. III, cap. II, n. 2, docente in stylo et praxi.

338. *Ætas mulieris, unde probetur?* — Ætas mulieris pro causa si allegatur, probari potest vel ex libro baptismali, vel per testimonium parochi ex illo desumptum. Communis. Ratio est, quia libri baptismales parochorum plene probant juxta dicta lib. II, tit. XXII, de Fide instrument. n. 127. In horum defectu eadem ætas probari etiam ad propositum poterit per parentes, fratres, aut sorores, uti merito docet Alexand. de Nevo, consil. 1, n. 11, contradicente Justis, lib. III, cap. VIII, n. 15. Ratio est, quia juxta dicta non requiritur probatio judicialis, et de rigore juris exacta aut perfecta, sed sufficit extrajudicialis, arbitrio judicis, cujus conscientia, et discretioni relinquatur; prout patet in aliis dispensandi causis.

339. *Mulier tempore dispensationis debet habere 24 annum perfecte completum.* — Illud tamen notandum, quod annus 24, debeat esse perfecte completus, adeo ut si unicum diem deesse constaret, dispensatio valide fieri non posset; Garcias, de Benefic. p. VI, cap. II, n. 85; Justis, loc. cit. n. 16; Paris. de Resign. lib. IV, q. 2, n. 17. Ratio est, tum quia dispensatio est odiosa, et strictæ interpretationis juxta sæpius dicta: Tum quia, quando lex vel legislator certi anni meminit, intelligit completum. Doctores citati. arg. l. Quæ ætate. ff. de Testament. Addit Justis, loc. cit. nec sufficere, etsi mulier tempore executionis requisitam ætatem compleret; contrarium tamen supra n. 221, probavimus. Ex quo inferitur, quod si aliquot dies, vel septimanæ, aut etiam mensis

deessent oratrici tempore, quo litteræ dispensationis Roma adveniunt, possit vel oratrix præsentationem illarum, vel executor præsentatarum executionem differre per dicta a n. 221.

340. *Ab incestus reatu et excessibus hujusmodi absolvas: hæc clausula quando fit? potest hæc absolutio fieri extra confessionem.* — Ab incestus reatu et excessibus hujusmodi, etc. absolvas pro utroque foro: hæc clausula semper inseritur, quando ad præcedentem copulam incestuosam, vel jam contractum matrimonium cum consanguinea, vel affine fit dispensatio; uti patet ex copia n. 293 et 294, allegata. Circa quam clausulam notandum, ad hanc absolutionem non esse necessarium, ut fiat confessio sacramentalis, sed posse a judice delegato fieri extra confessionem, etiam quoad forum internum, seu conscientia, ita ut dein taliter absolutus tam in foro externo, quam interno sit immunis a pœnis, v. g. excommunicatione, et aliis, quas ob incestum incurrebat. Justis, lib. I, cap. VII, n. 204; Sanchez, lib. VIII, disp. 34, n. 29, et alii.

341. *Imposita eis salutari pœnitentia, quomodo intelligenda, adimplenda?* — Imposita eis, etc. salutari pœnitentia: Etiam hæc clausula in casibus præcedentis numeri semper apponitur; quæ tamen conditionem non importat, nec de forma esse censetur, quia de jure inest, ut occasione absolutionis imponatur pœnitentia. Sanchez, loc. cit. n. 29; Justis, loc. cit. n. 109, ut proin dispensatio valida esset, quamvis pœnitentia non fuisset injuncta. Aliud est de pœnitentia publica injungenda, quando dispensatur in forma pauperum juxta dicenda infra, vel pœnitentia specificè determinatur, uti in litteris pœnitentiariæ specificatur confessio ad minimum per sex menses juxta dicenda infra. Debet tamen etiam illam ex præcepto imponere executor, cum ita mandet in litteris Pontifex: Quia vero nulla ibidem certa præscribitur pœnitentia, relinquatur arbitrio judicis imponenda pro diversitate delicti, personarum, circumstantiarum, et tempore can. Tempora. 2, cau. 27, q. 7, et can. 1, de Pœnit. distinct. 5. Nec tamen est necesse, ut publica pœnitentia imponatur oratoribus, etsi delictum eorum sit publicum, quia, si id vellet Papa, exprimeret, prout clare exprimit, si dispensat in forma pauperum juxta formulam infra n. 406, allegandam, ibi expresse mandat executori

publicam pœnitentiam imponas, dum e contra in forma dispensationis ordinariæ tantum præcipit, ut imposita salutari pœnitentia absolvat. Ratio diversitatis esse potest, quod taxa pecuniaria a dispensatis in forma ordinaria solvenda, vices quodammodo suppleat pœnæ publicæ ob delictum publicum debitæ.

342. *In utroque foro absolvas: quid importet?* — In utroque foro, etc., absolvas: vi cuius clausulæ potest, et debet executor oratores a pœnis in utroque foro, id est tam interno quam externo: tam ecclesiastico quam civili absolvere: dummodo in foro aliquo externo nondum sint delati juxta dicenda infra n. 346, vel, si delati jam sint, dummodo sententiæ contra se latæ aut ferendæ prius paruerint seu satisfecerint juxta dicenda n. statim seqq. Et quamvis Corrad., lib. VIII, cap. I, n. 19, ex plurium diœcesium consuetudine doceat, executorem delegatum posse alteri subdelegare potestatem absolvendi oratores ab incestu et pœnis illius; tamen securius est, si ipsemet absolutionem præstet; eo quod plures ut Maranta in Specul. Aureo. p. 4, dist. 5, n. 67, doceant, hujusmodi subdelegationem fieri non posse, arg. c. fin. de Off. delegat. et per rationes infra a n. 353. allegandas. Accedit, quod, cum hæc absolutio extra sacramentum pœnitentiæ fieri valeat juxta dicta supra n. 340, nullam prorsus in absolvendo difficultatem vel laborem habeat executor.

343. *Et quatenus causa, etc., in judicium deducta fuerit, parito judicato, importat conditionem, qua non observata invalida esset dispensatio.* — Et quatenus causa contra ipsos super præmissis in judicium quoquomodo deducta fuerit, parito judicato: hæc quoque clausula in casibus n. 340. allegatis semper apponitur, estque de forma, et conditionem importat, ita ut dispensatio sit invalida, nisi prius actu, et in effectu paruerint oratores sententiæ contra se latæ vel ferendæ, casu, quo ante dispensationem propter incestum, vel male contractum matrimonium in foro aliquo externo jam fuissent delati, vel accusati. Corrad., lib. VIII, cap. II, a num. 23; Justis, lib. I, cap. VII, n. 227.; Barbos., de Claus., claus. 97, n. 4 et sæpius decidit Rota apud Justis et Corrad. Ratio est; quia, cum verba illa sint posita in ablativo, conditionem importat l. A testatore. ff. de Condit. et Demonstrat.

344. *Etiam si oratores de parendo judicate*